

hic, cum mediate tantum significetur, ob res immediate significatas varius, anceps et obscurus est, nec cuivis obvis, nec connexionem necessariam habet cum loquentis intentione; unde siue accessione unius ex memoratis incertum relinquatur, an a Spiritu sancto fuerit intentus; quæ tamen incertitudo tollitur illarum conditionum ope.

V. Sensus *accommodatitius* Theologo ad veritates fidei probandas aut defendendas non præbet argumentum certum et efficax; quia non est intentus a Spiritu sancto, sed pro arbitrio, quantumvis pio et rationabili, ad res et personas, de quibus Scriptura haud loquitur, accommodatus: utilitatem tamen ad illustrandam vel moralem vel aliam doctrinam habet eo majorem, quo major est auctoritas accommodantis, scilicet aut Ecclesiæ, aut Interpretis.

57. *Observe.* Pro utraque classe attendendum est, an Scripturæ locus ad probandum assumptus, sit dictum Scriptoris sacri proprium, an vero alienum, et a Scriptore sacro duntaxat relatam. In priore casu Scripturæ locus auctoritatem divinam habet, facitque argumentum efficax; quia res et sententias hujusmodi Scriptoribus sacris specialiter esse inspiratas (num. 20.) est ostensum: in casu posteriore distinguere oportet inter dictionem ipsam et dictum seu dicti veritatem. Quod enim reipsa sit dictum, quod ut tale refert Scriptor sacer, eadem auctoritate certum est ex data proxime ratione: an vero dictum hoc a Scriptore sacro relatam etiam sit verum, si ex ipsa rei natura non constat, desumi debet ex auctoritate loquentis, quæ pro varietate personæ varia est. Sic dum affertur Dei ipsius oraculum, aut Prophetæ vaticinium, aut angeli vel hominis divinitus inspirati effatum, auctoritas divina habetur et veritas certa est: dum autem refertur alterius personæ sibi relicte assertio, v. g. Judæorum Joan. 2. v. 20. *Quadragesima sex annis edificatum est templum hoc*, vel illa cæci nati Joan. c. 9. v. 31. *Scimus, quia peccatores Deus non audit*, aut illa insipientis Psal. 52. v. 2. *Non est Deus, aut illa Satan. Job. 2. v. 5. Tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi etc.*; auctoritas tantum est humana et veritas fallibilis aut etiam nulla.

CAPUT II.

DE TRADITIONIBUS SACRIS.

Controversia, quæ Catholicos inter et A catholicos de TRADITIONIBUS olim suscitata, et seculis superioribus renovata fuit, duas questiones complectitur, alteram quasi *juris* et conditionatam, qua de Traditionis notione, divisione et auctoritate inquiritur; alteram velut *facti* et absolutam, qua de ejusdem necessitate, existentia et certitudine sive ad cognitionem sive ad usum disputatur: utramque uno hoc capite resolvemus.

ARTICULUS I.

Quænam sit notio, divisio et auctoritas Traditionis sacræ?

58. *Nota.* De TRADITIONIS notione et divisione non tam controversia est quam varia acceptio et multiplex respectus; de auctoritate autem fuit heterodoxorum sive in diversis locis contradictio, sive error proprius, quo Lutherus apud Pet. Suavem L. 2. dixerat, *Sacrilegium esse, traditiones non scriptas paræ auctoritatis credere cum Scripturis novi veterisque Testamenti*; et Kemnitius apud Bellarm. L. 4. c. 3. scripsit, *insignem esse audaciam, majestati et auctoritati Scripturæ aliquid æquare*. Fuerunt etiam, teste Pallavicino Hist. Trid. L. 6. c. 14. nonnulli ex Tridentinis Patribus, qui visi sunt versari in ea dubitatione, num Deus voluerit tantam impertiri traditionibus firmitatem ac venerationem, quantam sacris Litteris. Ad ambiguitates illas et has dissensiones tollendas.

59. *Dico I.* Traditionis notio pro ampliori vel strictiori acceptio varia est.

Latissime sumpta traditio est notitia, sive doctrina sive institutio qualiscumque quocumque modo cum altero communicata: hoc sensu sumpsit traditionis nomen Apostolus 2. ad Thess. 2. v. 14. *Tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram*; et Philosophus L. 3. Polit. c. 11. *Civitates partim optimis legibus, partim arbitrariis longa serie communicatis reguntur*.

Late sumpta rursus est notitia qualiscumque ore tenus primum aliis communicata: hoc sensu traditionem accepit Tertull. L. de Coron. c. 4. *Harum disciplinarum si legem expositules scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix*. Utroque significato hactenus exposito continetur traditio tum sacra tum profana, tam vera quam falsa, sive pia sive impia seu pharisaica, et germana et popularis etc.

Stricte et Theologicè sumpta est notitia sacra, h. e. ad religionem pertinet, ore tenus primum aliis communicata, h. e. non contenta saltem expressis verbis in sacra Scriptura, sed viva voce primitus ab auctore suo proposita, ac deinceps quasi de aure in aurem ad posteros successive perducta; sive postmodum aut in Conciliorum actis, aut in Patrum scriptis, aut in Historicorum libris fuerit authentice consignata, sive non. Atque hoc sensu traditio a nobis in præsens accipitur.

60. *Dico II.* Divisio traditionis est multiplex, habito scilicet respectu ad principium, ad doctrinam, ad materiam, ad subjectum, ad tempus, ad obligationem. Et quidem

Respectu *Principii* universim vel est divina vel humana, prout nempe traditionis primus et immediatus auctor est vel Deus vel homo viva voce locutus. Quoniam vero hæc acceptio vel descriptio, contra usum communem in Tridentinæ Professionis formula etiam usurpatam, Apostolicas traditiones omnes rejicit ad humanas, neque inter enuntiata Apostolica discrimen illud facit, quod tamen Paulus ipse 1. ad Cor. 7. v. 10. et 12. manifestat: hinc traditionem dicimus *divinam*, quæ divinitus est revelata, sive a divino sive ab

humano ore promulgatio ejusdem primitus promanarit; *humanam* autem quæ non est divinitus revelata, sed ab humana auctoritate profluxit.

Divina subdividitur in Dominicam et Apostolicam, fundamentum præbente CONC. TRID., quod Sess. 4. in decr. de Canon. Scriptur. ait, *omnem salutarem veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt.* Unde *Dominica* est, quæ ipsius Christi ore proposita fuit: qualis est traditio de Sacramentorum materia et forma determinata; *Divino-Apostolica*, quæ Spiritu sancto dictante fuit ab Apostolis prolata; qualis est Symbolum fidei Apostolicum. *Humana* subdividi quidem solet in civilem et Ecclesiasticam; sed quia de sacris duntaxat traditionibus hic agimus, et Apostoli inter Ecclesiarum pastores specialem classem merentur, generaliore hac divisione ommissa humanam traditionem in Ecclesiasticam et rursus in Apostolicam distinguimus. *Humano-Apostolica* est, quæ est prodita ab Apostolis, nomine suo, et Spiritu quidem sancto assistente, non tamen nomine Dei et Spiritu sancto dictante, loquentibus; qualis est illud Pauli dictum I. c. *Cæteris ego dico, non Dominus: si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Ecclesiastica* est quæ sive ab aliis Ecclesiarum præsidibus, sive his consentientibus a fidelibus fuit introducta; qualis est solemnitas et observatio certorum festorum, post Apostolorum obitum celebrari cæptorum.

Respectu *Doctrinæ* alia est inhæsiva, alia declarativa, alia mere oralis. *Inhæsiva* est, quæ voce idipsum tradit, quod clare in sacra Scriptura est expressum; qualis illa de nativitate, miraculis, morte et resurrectione Christi: *Declarativa* est, quæ pari modo exponit, quod in Scriptura sacra obscure tantum extat; qualis est illa quæ loca Scripturæ, Christum esse filium Dei enuntiantia, exponit de filio naturali et consubstantiali Patri: *Oralis*, quæ id proponit, quod ne implicite quidem in sacra Scriptura continetur; qualis est de existentia et numero sacrorum librorum.

Respectu *Materiæ* dividitur in dogmaticam et moralem. *Dogmatica* est quæ doctrinam continet, *Moralis*, quæ institutionem aut præceptum habet. *Dogmatica* alia est *fidei*, quæ continet doctrinam, ad Religionis substantiam vel objectum fide divina credendum pertinentem; qualis est de existentia sacre Scripturæ: alia *credulitatis*, quæ continet doctrinam non pertinentem ad Religionis substantiam, aut necdum propositam ad credendum fide divina; qualis est de assumptione corporis Beatæ Virginis in cælum. *Moralis* alia est *morum*, quæ pertinet præcise ad faciendum bonum vel fugiendum malum; qualis est de observantia jejunii: alia *discipline*, quæ pertinet ad externum Ecclesiæ aut fidelium regimen; qualis est de Pœnitentia publica: alia *rituum* et *cæremoniarum*, quæ ad cultum Dei exteriorem pertinet; qualis est de rubricis Misse.

Respectu *Subjecti* seu Ecclesiæ, ad quam pertinet vel in qua viget, alia est *universalis*, si nempe respiciat universam Ecclesiam ac fideles ubique dispersos; qualis est de authentia quatuor Evangeliorum, et de jejunio quadragesimali: alia *particularis*, si unam vel paucas duntaxat Ecclesias particulares et congregatos in iis fideles respiciat; qualis fuit de authentia epistolæ ad Hebræos et de jejunio sabbatino.

Respectu *Temporis*, ad quod scilicet traditio protenditur, alia est *perpetua* quæ ab initio fuit edita, ut duraret in Ecclesia constanter, atque hinc mutationi non est obnoxia; quales sunt omnes traditiones fidei et morum: alia *temporanea*, quæ ad certum duntaxat tempus erat duratura, et proinde colligitur tanquam a posteriori ex mutatione facta; quales multæ sunt traditiones disciplinæ et rituum, uti agape, abstinencia a suffocato, trina mersio in fontem baptismatis, communicatio sub utraque specie etc.

Respectu *obligationis* observandi, alia est *necessaria* quæ scilicet per modum præcepti est instituta; uti rursus traditiones fidei, et certa etiam classis piarum credulitatum sub præcepto propositarum, qualis est de Immaculata B. V. Conceptione, præter illas, quæ præceptum sive divinum, sive apostolicum, sive ecclesiasticum continent: alia *libera*, quæ ex sua institutione fidelibus quidem fuit commendata, adeoque contemni non debet; sed libero tamen eorum arbitrio relicta; qualis est aspersio aquæ lustralis, formatio crucis, et altera piæ credulitatis classis, in qua illa est de domo Lauretana, sudario Christi etc.

61. *Dico III.* Traditio universim auctoritatem habet suo auctori seu origini correspondentem; divina speciatim, si qua existit, æqualem tenet cum Scriptura sacra 1. *Pars prima* patet; quia Traditio ex dictis est verbum auctoris; verbi autem auctoritas tanta est, quanta loquentis vel originis; cum in ordine ad faciendam fidem non pertineat verbum qualecumque aut secundum se sumptum, sed ut a loquentis scientia et veracitate informatum. Unde Traditionis Divinæ auctoritas est Divina, Apostolicæ Apostolica, Ecclesiasticæ Ecclesiastica. Ex eadem ratione *Pars secunda* colligitur; quandoquidem Scriptura sacra auctoritatem non obtinet a membrana, calamo vel atramento, aut quia scriptum est; sed unice quia est verbum Dei: ergo si Traditio vere divina sit et verbum Dei, æquali cum Scriptura auctoritate eam gaudere oportet: quod disputare non a Christiani modo, sed etiam à cujuscumque hominis ingenio penitus alienum esse, et incredibilem contendendi pruriginem sapere, Muratorius L. I. de Ingenior. Moder. c. II. cum aliis pluribus declarat.

Conf. PAULUS etiam verbis rationem divini depositi tribuit, et pro sermone æque ac epistola fidem et obedientiam postulat. Ita enim 2. ad Tim. 1. v. 13. scribit: *Formam habere sanorum verborum, quæ a me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu: bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.* Et 2. ad Thess. 2. v. 14. *Fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram.* Patres idem de Traditione enuntiant, inter quos IREN. L. 3. conf. hæc. c. 4. scribit: *Quid si neque Apostoli quidem scripturas nobis reliquissent; nonne oportebat ordinem sequi traditionis?* BASIL. L. de Spir. S. c. 27. *Si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, imprudenter gravissimum Evangelio detrimentum inferemus; imo potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* CHRYS. hom. 4. in 2. ad Thess. *Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio; nihil quæras amplius, non codices Prophetarum, non epistolas Apostolorum, non libros Evangeliorum. Traditio est; nihil quæras amplius, hoc est, ipsa per seipsam tibi sufficiat: ut quod ipsa docet, credas tenendum.* Concilia denique rem aperte definiunt. NICÆNUM II. Act. 7. in

fine ait: *Si quis traditionem Ecclesiae sive scripto sive consuetudine valentem non curaverit, anathema sit.* CONSTANTINOPOLITANUM IV. Act. 10. Can. 1. Quapropter sanctiones Ecclesiae Catholicae et Apostolicae per traditionem acceptas, servandas custodiendasque profitemur. TRIDENTINUM Sess. 4. in Decr. de C. S. pergit: *Synodus orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi Testamenti... nec non traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu et reverentia suscipit et veneratur.*

62. *Observe.* Uti notione, ita et nomine inter se distinguendas esse Traditiones Divinas, Apostolicas et Ecclesiasticas, patet ex superioribus: easdem tamen quandoque a patribus confundi, ex eorum scriptis intelligitur. Quas-cumque enim Apostolicas imo et Ecclesiasticas subinde nomine *Divinarum* compellant, vel quia Apostoli aut Ecclesiae Prælati easdem instituerunt Spiritu sancto impellente; vel quia eas, auctoritate a Deo accepta, instituerunt; vel quia ad Christi exemplum eas instituerunt: e contra Divinas interdum vocant *Apostolicas* et *Ecclesiasticas*, quia Dominicas etiam Traditiones Apostoli promulgarunt, et Ecclesia ac Patres ad nos transmiserunt. Cæterum quænam secundum rem ipsam ac proprie sint, ex argumento et doctrina traditionum, secundum regulas inferius dandas examinatis, facile dignosci potest.

ARTICULUS II.

An Sacre Traditiones sint necessario admittendæ, et re ipsa existant?

63. *Nota. I.* Quam sunt diversi a veritate ac divina fide Hæretici omnium ætatum omnes, tam alienos se a sacris Traditionibus admittendis præbuerunt eorum plerique. Hunc de Sadducæis errorem testatur Josephus L. 13. Antiq. c. 18.; de Valentinianis, Marcionitis et similibus Iren. L. 3. c. 2. et Tertul. L. de Præscript.; de Anabaptistis et Donatistis Aug. ep. 48. ad Vincent. et L. de Unit. Eccl. c. 19.; de Arianis Hilar. L. cont. Constant. Aug. ep. 178. ad Pascent. et L. 1. cont. Maximin. in princ., Epiphan, hæres. 69. et 73.; de Macedonianis et Eunomianis Basil. L. de Spir. Sanct. c. 27. et 29.; de Pelagianis Aug. L. de nat. et gr. c. 39.; de Nestorianis et Eutychianis Basil. Ancyr. in Confess. Cath. et Conc. Chalc. Act. 1., de Apostolicis sui temporis Bernard. hom. 66. in Cantica; de Wicleffitis Thomas Waldens. L. 2. de Doctr. fid. c. 19. In hoc, sicut in reliquis, antiquos imitati sunt Novatores Lutherus in Comm. ep. ad Galat. et scripto adversus Angliæ Regem et Calvin. L. 4. Inst. c. 8. §. 8., habueruntque Sectatores Kemnitium, Brentium, Dallæum, Georg. Callixtum, Basnagium, aliosque omnes suos Tribules.

64. II. Quamvis vero commune istud dogma hoc itidem communi fundetur principio, quod sola Scriptura res fide divina credendas complectatur; diversitas tamen quædam tum in principio tum in dogmate statuendo inter patronos erroris intercedit, orta ex duplici sensu, quo utrumque aut largius aut strictius

accipi potest et intelligitur. Eorum aliqui enim solam Scripturam complecti ita res fidei dicunt, ut necessaria omnino sit Scriptura, et traditio nunquam sufficiat; alii ita tantum, ut Scriptura sit sufficiens fidei regula, et traditio aut inutilis aut certe minus necessaria. Item aliqui negant universim ac in thesi, præter verbum Dei scriptum existere ullum aliud, quod dici possit traditum seu traditio: alii autem id inficiantur tantum speciatim ac in hypotesi, scilicet traditiones illas, quas Ecclesia Catholica præter Scripturas admittit, revera esse verbum Dei non scriptum. Unde sicut multiplicem controversæ quæstionis statum esse apparet, ita non minus patet, disputari hic præcipue de *Traditionibus divinis*, declarativis et oralibus, tum dogmaticis, tum moralibus, universalibus et necessariis; propterea etiam quod ipsi Hæretici traditiones inhæsitivas facile amplectantur, reliquas omnes, quæ proferruntur, pro humanis venditent, disciplinares speciatim et rituales tanquam adiaphoras non curent, particulares vero et liberarum despiciant.

65. *Dico I.* Scriptura sacra ad fidem non erat absolute necessaria, sed poterat sufficere Traditio. *Prob.* Ad fidem sufficit verbum Dei, sicut ad obedientiam lex: sed ut sit verbum Dei, non est necessaria Scriptura, sed sufficit traditio, sicut ut sit lex; cum detur etiam lex non scripta: ergo ad fidem non est necessaria Scriptura, sed sufficit traditio. *Conf.* Ab Adam usque ad Mosen erat vera Ecclesia Dei in mundo; a Mose ad Christum usque, eadem etiam extra Synagogam extendebatur ad gentes, aut aliquos saltem homines non Judæos; ut Aug. L. 11. et seqq. de Civit. Dei, L. de pec. orig. c. 24. et L. de prædest. Sanct. c. 9. demonstrat; a Christi demum et prima Apostolorum prædicatione stabat Ecclesia Christi: sed in prima ætate nulla penitus extabat Scriptura, in secunda lex quidem erat scripta, sed aut non communicata aut non observata a fidelibus extra Synagogam, in tertia litteris necdum mandatum erat Evangelium: aderat tamen doctrina sacra et revelatio tradita ab Adamo, Patriarchis et alijs majoribus, vel prædicata ab Apostolis: ergo ad Ecclesiam et consequenter ad fidem non erat necessaria Scriptura sacra, sed sufficebat traditio.

67. *Objic.* Scriptura sacra est fundamentum fidei; præter Scripturam non est fundamentum fidei; sine Scriptura nullum est fundamentum fidei: ergo Scriptura est necessaria ad fidem nec sufficit traditio mere oralis.

Prob. 1^a p. Ant. ex Joan. 20. v. 31. *Hæc autem scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei;* ad quem locum Aug. L. 1. de Consen. Evang. c. 35. ait: *Quidquid Christus de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum Apostolis suis manibus imperavit.* Ergo.

2^a p. patet ex ep. ad Gal. 1. v. 8. *Licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit;* in quod ita commentatur Theophylactus: *Non dicit: si contraria prædicent; cæterum si parum quiddam annuntient præter id, quod annuntiavimus.*

Denique 3^a p. constat ex Patribus, inter quos Orig. hom. 1. in Jerem. inquit: *Necesse est nobis Scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippe nostri et enarrationes sine his testibus non habent fidem;* Similia habet Tr. 25. in Matthæum; ATHAN. in ep. 39. de libris canon. scribit: *Hi sunt fontes salutares, ex quibus sitiens haurire possit eloquia; in his solis pietatis schola beate annuntiat; CHRYS. hom. in Psal. 93. ait: Neque oportet quid-*